CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

Schemata, n. 233
De Missali, 39

ORDO LECTIONUM

PRO DOMINICIS
FERIIS ET FESTIS SANCTORUM

(Manuscripti instar)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS — MCMLXVII

INTRODUCTIO GENERALIS

Principia ad recognoscendum Lectionarium missalis

Sacrum Concilium Vaticanum II circa lectiones biblicas recognoscendas in instauratione Missae sequentia statuit:

« Quo ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici largius aperiantur, ita ut, intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo legatur » (Const. *De sacra Lit.*, art. 51).

Ut modus vero quo huic mandato obtemperari possit accuratius definiretur, « Consilium ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia », re funditus investigata et mature perpensa, quaedam principia stabilivit quae essent fundamentum ordinationis novi Lectionarii pericoparum Sacrae Scripturae in Missa legendarum. His principiis innititur Lectionarium quod in hoc libro typis mandatur ut ab episcopis, pastoribus, ac rei exegeticae et liturgicae peritis quibus spectat accurato examini subiciatur. Eorum deinde animadversionibus prae oculis habitis, ubi casus ferat, corrigetur et ulterius perficietur antequam modo certo ad experimentum probetur et concedatur et ultimo in liturgiam romanam inseratur.

Quaedam ex praedictis principiis ad universum Lectionarium spectant, quaedam vero respiciunt singula tempora liturgica aut lectiones per ferias vel in Sanctorali, uti dicitur, adhibendas. Principia specialia inveniuntur in principio singularum partium praesentis Lectionarii; principia vero generalia sunt ea quae sequuntur.

1. De duobus Lectionariis

Duo Lectionaria distinguuntur maxima ex parte ab invicem independentia: Lectionarium pro diebus Dominicis et festis, et Lectionarium pro feriis. Ratio praecipua huius distinctionis est pastoralis. Maxima enim pars fidelium participat celebrationem eucharisticam solum diebus Dominicis et festis. His ergo diebus debent servari pericopae maioris momenti, ex quarum lectione omnibus fidelibus occasio praebeatur verbum Dei, quoad essentialia et intra congruum tempus, totum audire. Selectio textuum magis completa fieri potest pro iis qui Missam cotidianam saepius participant. Nihil refert utrum quaedam pericopae, quae iam diebus Dominicis aut festis leguntur, iterum quandoque per ferias legantur. De cetero huiusmodi repetitiones nonnisi raro fiunt in eadem hebdomada et, ut in pluribus, solum una ex duabus lectionibus repetitur.

2. De lectione semi-continua vel per themata disposita

Quaestio quaedam praecipua in novis Lectionariis ordinandis erat quousque lectiones disponi deberent per ordinem semicontinuum, uti aiunt, aut potius ex « themate » quodam ad invicem componi. Uterque modus, sub aspectu liturgico et pastorali, habet

sua commoda et sua pericula. Utcumque vero res se habeat, neuter potest applicari modo quodam rigido.

Ideo reicienda est harmonizatio per schemata rigida, quae arcte responderet thematibus modo mere intellectuali conceptis et systematice evolutis ad modum alicuius catechismi aut cursus praedicationis abstracte determinatae. Liturgia habet propriam rationem, eamque valde concretam et efficacem docendi et perficiendi unitatem inter lectiones. Themata vero, si quae in lucem ponenda sunt in lectionibus, debent intelligi de magnis categoriis biblicis quibus Scriptura relationes inter Deum et homines modo concreto narrat in historia salutis. Inter Vetus Testamentum et Novum Testamentum optima harmonizatio habetur quando ab ipsa Scriptura notatur, quatenus doctrina et facta quae continentur in textibus Novi Testamenti relationem plus minusve explicitam habent ad doctrinam et facta Veteris Testamenti.

In praesentibus Lectionariis textus Veteris Testamenti seliguntur imprimis ob eorum correspondentiam ad textus Novi Testamenti, praesertim Evangeliorum. Sed in feriis temporis Adventus habetur quaedam lectio semicontinua textuum Isaiae, qui magis respondent colori proprio huius temporis liturgici. In maioribus festis habetur, quantum fieri potest, strictior harmonizatio desumpta ex thematibus propriis mysterio quod celebratur. Periodi liturgicae extra tempus per annum, cum polleant colore peculiari qui exprimitur variis thematibus singulis his temporibus propriis, inducunt etiam ad quandam, quamvis minus strictam, compositionem harmonicam textuum singularum Missarum secundum haec ipsa varia themata.

Tempore paschali proponitur talis lectio semicontinua Apostoli et Evangeliorum quae colori proprio huius temporis liturgici respondeat.

In Dominicis per annum item proponitur lectio semicontinua Epistolarum et Evangeliorum, ita ut in Dominicis post Epiphaniam Evangelium exhibeat initium ministerii publici Domini: prima miracula, primos sermones, etc., tempore vero post Pentecosten inveniantur parabolae de Regno, sermones de missione, et, in fine, magni sermones eschatologici.

In feriis per annum quoad Evangelium proponitur lectio semicontinua prius Marci, deinde Lucae et tandem Matthaei, ita tamen ut in ultima hebdomada post Pentecosten legantur textus eschatologici Marci et Matthaei. Lectionarium in feriis per annum conficiatur secundum unicam seriem lectionum incipientem a tempore post Epiphaniam et decurrentem per 34 hebdomadas.

3. De quibusdam libris Scripturae certis temporibus assignatis

Ex momento intrinseco ipsius rei et ex traditione liturgica, in novis Lectionariis quidam libri Sacrae Scripturae reservantur certis temporibus.

Servatur traditio, tam occidentalis (ambrosiana et hispanica vetus) quam orientalis legendi Actus Apostolorum tempore paschali. Exinde optime illustratur totam vitam Ecclesiae initium sumere a mysterio paschali

Servatur pariter traditio sive occidentalis sive orientalis de legendo Evangelio Ioannis ultimis hebdomadis Quadragesimae et tempore paschali. Est Evangelium «spirituale», quo mysterium Christi altius investigatur.

Quoad lectionem Actuum Apostolorum tempore paschali, duplex traditio habetur:

a) traditio ambrosiana legit Actus loco primae lectionis ex Vetere Testamento et Apostolum secundo loco; *b*) traditio hispanica loco Veteris Testamenti habet Apocalypsim in prima lectione et Actus in secunda.

In praesentibus Lectionariis tempore paschali in prima lectione leguntur Actus singulis annis, in secunda vero lectione in primo anno textus desumuntur ex 1 Petri, in secundo ex 1 Ioannis et in tertio ex Apocalypsi.

Lectio Isaiae, praesertim primae partis, ex traditione assignatur tempori Adventus. Quaedam tamen pericopae eiusdem prophetae leguntur tempore Nativitatis et Epiphaniae. Etiam prima epistola Ioannis eidem tempori assignatur.

4. De textibus difficilibus

Ex ratione pastorali vitantur in Lectionario dominicali textus biblici revera difficiliores sive obiective eo quod altiora problemata litteraria, critica aut exegetica moveant, sive etiam, in quadam saltem extensione, eo quod a fidelibus difficilius intelligi possent. In hoc ultimo tamen casu oportet attendere. Nam divitias spirituales textuum non licet fidelibus abscondere, ex falsa specie quod sint pro eis difficiles, quando haec difficultas provenit sive ex insufficienti institutione christiana, quam omnis bonus fidelis deberet habere, sive ex insufficienti institutione biblica qua omnis bonus pastor animarum deberet pollere. Hodierna familiaritas cleri et populi christiani cum visione spirituali rerum uti habetur in Sacra Scriptura non potest certe considerari uti terminus ultra quem non debeat aut non possit ulterius progredi. De cetero cura adhibita est ut non omnes lectiones eiusdem Missae difficiliores inveniantur. Pericopae aliquatenus difficiliores ita delimitatae sunt ut sensus eorum facilius percipiatur; et non raro lectio difficilior ex harmonia cum alia lectione eiusdem Missae facilior redditur intellectu.

5. De longitudine textuum

Circa longitudinem pericoparum via media observatur. Ratio enim pastoralis docet textum plus aequo brevem animi attentionem sufficienter non movere, quae pariter a nimia prolixitate distrahitur. Praeterea distinctio facta est inter narrationes, quae aliqua extensione textus indigent et de more studiose et attente audiuntur, et textus quos propter doctrinae altitudinem in longum protrahere non licet. Iuxta traditionem romanam, in textibus versiculi essentiales seliguntur.

Pro quibusdam vero pericopis satis longis duplex forma praevidetur, longior et brevior pro opportunitate. Ratio huius rei est quia quaedam ex huiusmodi pericopis sunt in se non parvi momenti et ideo non convenit omnibus imponere ut forma breviata legantur, et tamen pro quibusdam auditoribus sunt revera satis longae, et ideo non convenit omnibus imponere formam longiorem. Ita, v.g. magnae pericopae Ioannis: de samaritana, de caeco nato, de Lazaro. In huiusmodi breviationibus faciendis maxima cautela adhibita est. In ipso textu impresso versiculi qui omitti poterunt opportunis signis typographicis indicabuntur.

6. De tribus lectionibus diebus dominicis et festis

Diebus Dominicis et in festis Domini primae et secundae classis necnon in festis de praecepto Missa tribus lectionibus ditatur quae sunt in genere ex Antiquo Testamento, ex Apostolo — Epistolae, Actus, Apocalypsis — et ultima semper ex Evangelio. Ex hoc ordine vis catechetica lectionis Scripturae augetur quia ex eo optime illustrari potest unitas duorum Testamentorum et historiae salutis, cuius centrum est Christus in suo mysterio paschali. Haec unitas debet esse, praesertim hodie, unum ex praecipuis obiectis catecheseos. Iste ordo est traditionalis et per longum tempus servatus fuit etiam in occidente. Hae tres lectiones proponuntur ita ut debeant in omni Missa legi ne, practice, uti experientia aliorum rituum docet, in vanum ponantur; tamen cautum est ut sint breves.

7. De cyclo trium annorum

Lectionarium in Dominicis et festis adhibendus fundatur in cyclo trium annorum. Cum cyclo minore non posset populus, qui de more solum his diebus Missam participat, Scripturae partem praestantiorem audire, uti statuit Concilium. Pro cyclo maiore sufficiens materia non adesset pro Apostolo. Neque adesset, uti videtur, pro Evangeliis, quin textus plus aequo in parvulis pericopis dissecarentur et ipsa Evangelia distribuerentur secundum ordinem qui, pro scopo intento in lectione liturgica Scripturae, esset arte nimia quaesitus.

In seligendis tamen pericopis servatur color ex traditione peculiaris quibusdam Dominicis: v.g. color eschatologicus primae Dominicae Adventus, thema boni pastoris in Dominica dicta de bono Pastore, apparitio Domini Apostolo Thomae in Dominica in albis («post dies octo») cuius pericopa per singulos annos legi debet.

Etiam narrationes quae respondent obiecto alicuius festi servantur. In quibusdam vero festis etiam alii textus, praeter traditionales, proponuntur; semper tamen in relatione cum obiecto festi.

8. De dispositione Evangeliorum in cyclo trium annorum

In cyclo trium annorum, imprimis in Lectionario dominicali, singulis synopticis assignatur unus annus. Ioannes inseritur in cyclo Marci cuius Evangelium est brevius; de cetero Ioannes aliis temporibus privilegiatis proponitur, uti quarta et quinta hebdomada Quadragesimae, Dominicis Adventus et tempore Nativitatis et Epiphaniae.

9. De cyclo lectionum in feriis

Pro feriis Adventus, Nativitatis et Epiphaniae, necnon Quadragesimae et temporis paschalis, cyclus est unius anni tam in priori quam in altera lectione. In feriis autem per annum Evangelium ordinatur in cyclo unius anni; prior vero lectio in cyclo duorum annorum ex Veteri Testamento in periodis alternis, sufficienter tamen protractis, cum Apostolo.

10. De psalmo graduali

a) Psalmus gradualis est « natura sua pars liturgiae verbi » (Instructio S. R. C. diei 5 martii 1967, n. 33). Sufficit ut haec forma verbi Dei sex circiter constet versiculis.

b) Ut participatio populi in cantu psalmi gradualis (Cf. Ibid. nn. 33, 16 a) facilior evadat, simul cum eodem psalmo notatur in praesenti lectionario *versus ad repetendum* et indicatur textus ex quo desumitur. Quando praedictus versus est ex ipso psalmo graduali, ipse se habet in eodem, ut in pluribus, quasi elementum praecipuum aut quod melius respondet ipsi lectioni vel liturgiae diei. Quidam ex his versibus ad repetendum ponuntur secundum « versionem pianam » psalterii. Quidam vero desumuntur ex aliis libris Sacrae Scripturae, exempli gratia, ex Evangelio. In feriis temporis paschalis versus ad repetendum est ipsa acclamatio traditionalis *Alleluia.*

c) Psalmus gradualis seligitur respectu habito lectionum Scripturae in Missa. Ita unitas liturgiae verbi servatur et homilia facilior evadit. Psalmus gradualis secundum sequentes normas seligitur:

1. Quando in lectione Scripturae quae praecedit psalmum gradualem (lectio vel Epistola) aliquis psalmus citatur, hic ponitur etiam uti psalmus gradualis.

2. Quando Evangelium citat aliquem psalmum, psalmus iste item ponitur uti psalmus gradualis.

3. Si datur psalmus qui relationes litterarias habet cum lectione Scripturae, ipse adhibetur uti psalmus gradualis. Hac ratione adhibetur ut psalmus gradualis aliquis textus ex psalterio qui dicitur Ieremiae post quasdam lectiones ex hoc propheta desumptas.

4. Uti psalmus gradualis seligitur ille qui magis consonat spiritui Scripturae quae legitur etiamsi nulla relatio litteraria inter utrumque textum habeatur.

5. In temporibus liturgicis maioribus (in Adventu, in Dominicis post Pascha, tempore Ascensionis) uti psalmus gradualis desumitur ille psalmus qui in ipsa liturgia modo speciali hoc tempore adhibetur.

d) Uti psalmus gradualis non adhibetur integer aliquis psalmus uti est in psalterio, sed solum quidam versiculi ex eo seliguntur. Haec selectio facta est prae oculis habita utilitate pastorali. Versiculi qui difficiliores inveniebantur derelicti sunt, sed cautum est ne sensus ipsius psalmi detorqueretur.

e) Ut cantus facilior evadat versiculi dispositi sunt per strophas eiusdem plus minusve longitudinis. Exinde in lectionario versiculi disponuntur per stichos qui indicantur litteris, a, b, c, d, e, f. Strophae vero indicantur numeris versiculorum et commate dividuntur.

f) Quod versus ad *Alleluia* spectat, in praesenti Lectionario instauratur usus liturgiae romanae saeculi VIII, quo proponuntur *ad libitum* diversi textus adhibendi Dominicis post Pentecosten, feriis Adventus, temporis paschalis et per annum. Idem proponitur circa antiphonas acclamationis in feriis Quadragesimae.

11. De Alleluia

a) Ut unitas liturgiae verbi servetur, proponuntur versiculi qui praeparent lectionem Evangelii. Temporibus liturgicis quibus acclamatio *Alleluia* adhibetur, versiculi isti habent etiam praedictam acclamationem. Aliis temporibus loco *Alleluia* possunt adhiberi aliae similes acclamationes, uti *Laus tibi Domine*, *Rex aeternae gloriae*...

b) Versus ad *Alleluia* debet introducere proclamationem Evangelii. Ideo quando fieri potest, ex ipso Evangelio desumitur. Si hoc possibile non est, desumitur ex alio libro Scripturae et quidem, ut in pluribus, ex Novo Testamento et ita ut agat de verbo Dei. Versiculi ad *Alleluia* qui in Missali Romano magis conveniunt liturgiae diei aut temporis, in praesenti lectionario servantur.

c) Versus ad *Alleluia* constat de more duobus stichis. Acclamatio *Alleluia* potest ergo repeti in initio, post primum, et post secundum stichum. Hoc modo habetur cantus satis longus ut possit sufficere ad processionem Evangelii si haec habetur.

N.B. - Tituli librorum exhibentur iuxta Vulgatam, exceptis libris historicis, qui indicantur iuxta morem recentiorem in textibus vulgaribus Sacrae Scripturae receptum, nempe:

I Chronicarum	=	I Paralipomenon
II Chronicarum	=	II Paralipomenon
Esdras	=	I Esdrae
Nehemias	=	II Esdrae
I Regum	=	III Regum
II Regum	=	IV Regum
I Samuelis	=	I Regum
II Samuelis	=	II Regum

Versiculi autem semper iuxta numerum Vulgatae indicantur, etiam pro psalmis.

Sigla

MR : in Missali Romano hodierno

BR : in Breviario Romano hodierno

LECTIONARIUM
DOMINICALE - FESTIVUM

DOMINICAE ADVENTUS

Praenotanda

1. Habentur quatuor Dominicae cum cyclo trium annorum.

2. Servantur notae generales quae ex traditione huic tempori liturgico conveniunt: – praeparatio mundi adventui Messiae et praeparatio nostra festo Nativitatis ipsius; – exspectatio parusiae; – gaudium et vigilantia in exspectatione (nota gaudiosa tertiae Dominicae); – propositio personae et praedicationis Ioannis Baptistae.

3. Omnes pericopae quae in Missali Romano hucusque hoc tempore legebantur conservantur in novo ordine, sed quandoque eorum locus mutatur ad meliorem ordinationem obtinendam.

4. In lectionibus *Veteris Testamenti*, habentur 7 lectiones ex Isaia (inter has inseruntur duae pericopae quae hucusque legebantur feria 4 et feria 6 Quatuor Temporum); 1 pericopa est ex Baruch, 1 ex Ieremia, 1 ex Michaea, 1 ex II libro Samuelis.

5. In lectionibus *Apostoli* habentur: 9 textus de vigilantia in expectatione reditus Domini; duo textus seliguntur propter eorum accuratam respondentiam cum textibus Veteris Testamenti (secunda Dominica C et tertia Dominica A); unus vero textus quia accurate respondet Evangelio (quarta Dominica A).

6. In lectionibus *Evangelii*: servatur principium adsignandi singulos synopticos singulis annis cycli triennalis; Ioannes inseritur in annum Marci.

In prima Dominica Evangelia sunt notae eschatologicae de parusia; in secunda et tertia Dominica referunt ministerium Ioannis Baptistae; in quarta Dominica referunt: Annunciationem Mariae (B), quae hucusque legebatur in feria 4 Quatuor Temporum Adventus; Visitationem Mariae (C), quae legebatur feria 6 eadem occasione; annunciationem ad Ioseph (A), quae legebatur in vigilia Nativitatis.

Fere omnes textus qui hic admittuntur iam adhibiti fuerunt in traditione liturgica in hoc tempore, praesertim in Occidente.

1 Dominica I Adventus

A

LECTIO I — **Is 2. 1-5:** *Dominus congregat omnes nationes in pace aeterna Regni Dei*
Verbum quod vidit Isaias...

PS. RESP. — **Ps 121. 1-2, 3-4a, 4b-5, 6-7, 8-9**
℟ (*1*): Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

LECTIO II — **I Cor 1. 4-9:** *Revelationem expectamus Domini nostri Iesu Christi.*
Fratres: Gratias ago Deo meo...

ALLELUIA — **Ps 84. 8:** ℟ Alleluia.
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
(℟ Alleluia.)
et salutare tuum da nobis.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Mt 24. 36-44:** *Vigilate ut sitis parati.*
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: De die illa et hora [adventus Filii hominis] nemo scit...

---

2 Dominica I Adventus

B

LECTIO I — **Is 63. 16b-64. 4:** « *Utinam dirumperes caelos et descenderes!* »
Tu, Domine, pater noster...

PS. RESP. — **Ps 89. 1-2, 14-15, 16-17**
℟ (*13*): Convertere, Domine, et deprecabilis esto super servos tuos.

LECTIO II — **Rom 13. 11-14:** *Prope est nostra salus.*
Fratres: Scientes tempus, quia hora est... [MR]

ALLELUIA — **Ps 84. 8:** ℟ Alleluia.
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
(℟ Alleluia.)
et salutare tuum da nobis.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Mc 13, 33-37:** « *Vigilate: nescitis quando dominus domus veniat* ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Videte, vigilate et orate...
[MR, die 7 augusti]

---

3 Dominica I Adventus

C

LECTIO I — **Ier 33. 14-16:** *Germen iustitiae germinabit et faciet iudicium in terra.*
Ecce dies veniunt...
(in fine:) Ait Dominus omnipotens.

PS. RESP. — **Ps 24. 4bc-5, 8-9, 10-11**
℟ (*1+3b*): Ad te, Domine, levavi animam meam, qui sustinent te non confundentur. [MR]

LECTIO II — **I Thess 3. 10-13:** « *In sanctitate ante Deum in adventu Domini* ».
Fratres: Nocte ac die abundantius oramus ut videamus faciem vestram...

ALLELUIA — **Ps 84. 8:** ℟ Alleluia.
Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,
(℟ Alleluia.)
et salutare tuum da nobis.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Lc 21. 25-31:** « *Appropinquat redemptio vestra* ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Erunt signa in sole...
[MR, *25-33*]

---

4 Dominica II Adventus

A

LECTIO I — **Bar 5. 5-9:** *Dominus illuminat et congregat populum suum.*
Exsurge Ierusalem...

PS. RESP. — **Ps 125. 1-2ab, 2cd-3, 4-5, 6**
℟ (*3*): Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus laetantes.

LECTIO II — **I Thess 5. 16-24:** « *Deus pacis sanctificet vos in adventu Domini* ».
Fratres: Semper gaudete...

ALLELUIA — **Lc 3. 4+6:** ℟ Alleluia.
Parate viam Domini, rectas facite semitas eius;
(℟ Alleluia.)
videbit omnis caro salutare Dei.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mt 3. 1-6:** « *Paenitentiam agite: appropinquavit regnum caelorum* ».
In diebus illis venit Ioannes Baptista praedicans...

5 Dominica II Adventus

B

LECTIO I — **Is 40. 3-8:** « *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini* ».
Vox clamantis in deserto...

PS. RESP. — **Ps 84. 2+10, 11-12, 13-14**
℟ (*8*): Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.

LECTIO II — **II Petr. 3. 9-13:** « *Novos caelos et novam terram expectamus* ».
Carissimi: Non tardat Dominus promissionem suam...

ALLELUIA — **Lc 3. 4+6:** ℟ Alleluia.
Parate viam Domini, rectas facite semitas eius;
(Alleluia.)
videbit omnis caro salutare Dei.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mc 1. 1-6:** *Ioannes praedicat baptismum paenitentiae.*
Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei...

---

6 Dominica II Adventus

C

LECTIO I — **Is 11. 1-5+9-10:** « *Egredietur virga de radice Iesse* ».
Haec dicit Dominus Deus: Egredietur virga de radice Iesse...
(in fine:) Ait Dominus omnipotens.
[MR, feria 6 Quatuor Temporum Adventus]

PS. RESP. — **Ps 71. 2+3-4ab, 12-13, 18-19ab**
℟ (*7*): Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis in aeternum.

LECTIO II — **Rom 15. 7-13:** *Christus salvat omnes homines.*
Fratres: Suscipite invicem sicut et Christus suscepit vos...
[MR, *4-13*]

ALLELUIA — **Lc 3. 4+6:** ℟ Alleluia.
Parate viam Domini, rectas facite semitas eius;
(℟ Alleluia.)
videbit omnis caro salutare Dei.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Lc 3. 1-6:** « *Videbit omnis caro salutare Dei* ».
Anno quinto decimo imperii Tiberii Caesaris...
[MR, Dom. IV Adventus]

7 Dominica III Adventus

A

LECTIO I **Is 40. 9-11:** *Evangelizatio iucunda Sion:* « *Ecce Dominus veniet* ».
Haec dicit Dominus: Super montem excelsum ascende...
(in fine:) Ait Dominus omnipotens.
[MR, *9-11b*, sabbato Quatuor Temporum Adventus]

PS. RESP. **Ps 95. 1+3, 11-12, 13**
℟ (*11a+13a*): Laetentur caeli et exsultet terra, quoniam venit Dominus.

LECTIO II **Col 1. 10-14:** « *Cum gaudio gratias agimus Deo Patri qui salvavit nos* ».
Fratres: Ambulate digne Deo...

ALLELUIA **Is 40. 9-10:** ℟ Alleluia.
Exalta in fortitudine vocem tuam, tu qui evangelizas;
(℟ Alleluia.)
ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.
℟ Alleluia.

EVANG. **Mt 3. 7-12:** « *Facite fructum dignum paenitentiae* ».
In illo tempore: Videns Ioannes multos pharisaeorum et sadducaeorum...

---

8 Dominica III Adventus

B

LECTIO I **Is 61. 7b-11:** « *Gaudens gaudebo in Domino* ».
Haec dicit Dominus: Laetitia sempiterna erit populo meo. Quia ego Dominus diligens iudicium...

PS. RESP. **Lc 1. 48-49, 50+53, 54-55**
℟ (*46-47*): Magnificat anima mea Dominum et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

LECTIO II **Phil 1. 9-11:** « *Estote sinceri et sine offensa in diem Christi* ».
Fratres: Hoc oro ut caritas vestra magis ac magis abundet...

ALLELUIA **Is 40. 9-10:** ℟ Alleluia.
Exalta in fortitudine vocem tuam, tu qui evangelizas;
(℟ Alleluia.)
ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.
℟ Alleluia.

EVANG. **Ioann 1. 19-28:** « *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis* ».
Hoc est testimonium Ioannis... [MR]

9 Dominica III Adventus

C

LECTIO I **Soph 3. 14-18:** « *Dominus exsultabit super te in laude* ».
Haec dicit Dominus: Lauda, filia Sion...
(in fine:) Ait Dominus omnipotens.

PS. RESP. **Is 12. 2, 3-4bcd, 5**
℟ (*6*): Exsulta et lauda,
quia magnus in medio tui Sanctus Israël.

LECTIO II **Phil 4. 4-7:** « *Gaudete in Domino* ».
Fratres: Gaudete in Domino semper... [MR]

ALLELUIA **Is 40. 9-10:** ℟ Alleluia.
Exalta in fortitudine vocem tuam, tu qui evangelizas;
(℟ Alleluia.)
ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.
℟ Alleluia.

EVANG. **Lc 3. 15-18:** « *Christus vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni* ».
In illo tempore: Existimante populo...

---

10 Dominica IV Adventus

A

LECTIO I **Mich 5. 2-5a:** « *Et tu, Bethlehem Ephrata* ».
Haec dicit Dominus: Et tu, Bethlehem Ephrata...

PS. RESP. **Ps 79. 2-3a, 3bc-4, 18-19**
℟ (*8*): Domine, Deus noster, converte nos,
et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
[MR, Dom. III Adventus]

LECTIO II **Rom 9. 1-5:** *De populo foederis.*
Fratres: Veritatem dico in Christo...

ALLELUIA **Lc 1. 38:** ℟ Alleluia.
Ecce ancilla Domini;
(℟ Alleluia.)
fiat mihi secundum verbum tuum.
℟ Alleluia.

EVANG. **Mt 1. 18-25:** « *Iesus salvum faciet populum suum a peccatis eorum* ».
Christi generatio sic erat...
[MR, *18-21*, in vigilia Nativitatis]

11 Dominica IV Adventus

B

LECTIO I **Is 7. 10-14+8. 10c:** « *Ecce virgo concipiet* ».
In diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz dicens: Pete tibi signum... (...) et vocabitur nomen eius Emmanuel, quia nobiscum Deus.
[MR, *10-15*, feria 4 Quatuor Temporum Adventus]

PS. RESP. **Ps 23. 1-2, 3-4ab, 7-8, 9-10**
℟ (*8a*): Quis est iste res gloriae? Dominus ipse est.
[MR, 7, *3-4*, feria 4 Quatuor Temporum Adventus]

LECTIO II **Iud 20-21+24-25:** « *Exspectamus misericordiam Domini* ».
Carissimi: Superaedificantes vosmetipsos vestrae fidei...

ALLELUIA **Lc 1. 38:** ℟ Alleluia.
Ecce ancilla Domini;
(℟ Alleluia.)
fiat mihi secundum verbum tuum.
℟ Alleluia.

EVANG. **Lc 1. 26-38:** « *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* »
In illo tempore: Missus est angelus Gabriel...
[MR, feria 4 Quatuor Temporum Adventus]

12 Dominica IV Adventus

C

LECTIO I **II Sam 7. 8-12+16:** *Promissiones Dei domo David.*
In diebus illis: Ecce sermo Domini ad Nathan dicens: Haec dices servo meo David...

PS. RESP. **Ps 88. 4-5, 16-17, 27+29**
℟ (*2a*): Misericordias Domini in aeternum cantabo.

LECTIO II **Hebr 10. 23-25:** *Appropinquat dies.*
Fratres: Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem...

ALLELUIA **Lc 1. 38:** ℟ Alleluia.
Ecce ancilla Domini;
(℟ Alleluia.)
fiat mihi secundum verbum tuum.
℟ Alleluia.

EVANG. **Lc 1. 39-47:** « *Beata quae credidisti* ».
Exsurgens Maria in diebus illis abiit in montana...
[MR, feria 6 Quatuor Temporum Adventus]

DOMINICAE ET FESTA TEMPORIS NATIVITATIS ET EPIPHANIAE

PRAENOTANDA

1. *In Nativitate Domini*: Pro tribus Missis in Nativitate Domini praevidenda erat tertia lectio. Haec desumpta est ex Isaia. Pericopae selectae sunt quae habentur in Lectionario romano saeculi VII et quae usque hodie in pluribus ordinibus religiosis conservantur.

2. *In Festo Sanctae Dei Genetricis Mariae* (die 1 ianuarii): Proponuntur sequentes tres lectiones: *Prov* 8, 22-31, « De mirabilibus operibus Sapientiae Dei »; hic textus legebatur in liturgia romana a saeculo XI in festo Nativitatis B. M. V.; *Gal.* 4, 4-7, qui est unicus textus S. Pauli ubi explicite nominatur Mater Christi; *Lc* 2, 15-21, ubi narrationi circumcisioni (« *postquam consummati sunt dies octo* »), praemittitur narratio de pastoribus qui adeunt Bethlehem cum adnotatione evangelistae: « *Maria autem conservabat omnia verba haec in corde suo* ».

3. *In Epiphania Domini*: Epistola (*Tit* 8, 11-18) repetit pericopam noctis Nativitatis Domini. Hic textus in omnibus liturgiis hodierna die adhibetur (« *apparuit* »).

4. *In Baptismate Domini*: Narratio Baptismatis Domini legitur secundum tres evangelistas: Matthaeum, Ioannem et Lucam. Lectio vero prophetica et lectio Apostoli singulis annis eaedem repetuntur propter earum peculiarem nexum cum mysterio quod hodie celebratur: *Is* 42, 1-7 et *Tit* 3, 4-7.

13 In vigilia Nativitatis Domini

LECTIO I — **Is 62. 1-4:** *Videbunt gentes iustum tuum.*
Haec dicit Dominus: Propter Sion non tacebo...
(in fine:) Ait Dominus omnipotens.

PS. RESP. — **Ps 88. 4-5, 16-17, 27+29**
℟ (*2a*): Misericordias Domini in aeternum cantabo.

LECTIO II — **Rom 1. 1-6:** *Iesus Christus, ex semine David secundum carnem.*
Incipit Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.
Paulus, servus Iesu Christi... [MR]

ALLELUIA — ℟ Alleluia.
Crastina die delebitur iniquitas terrae:
(℟ Alleluia.)
et regnabit super nos Salvator mundi.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Mt 1. 1-16:** *Genealogia Christi.*
Initium sancti Evangelii secundum Matthaeum.
Liber generationis Iesu Christi...
[MR, die 8 septembris]

---

14 In Nocte Nativitatis

Hoc corpus lectionum Veteris Testamenti proponitur ad libitum sive in Missa vespertina de vigilia, sive in primis Vesperis Nativitatis. Tres primae lectiones fieri possunt ad libitum ante prophetiam libri Isaiae, quae legitur obligatorie.

LECTIO I — **Gen 3. 9-15:** « *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* ».
Vocavit Dominus Deus Adam...

PS. RESP. — **Ps 129. 1-2, 3-ab, 4c-6, 7-8**
℟ (*8*): Dominus redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

LECTIO II — **I Chron 17. 7-14:** *Promissiones Dei domo David.*
In diebus illis: Factus est sermo Dei ad Nathan, dicens:
Sic loqueris ad servum meum David...

PS. RESP. — **Ps 88. 4-5, 27-28, 29-30**
℟ (*2a*): Misericordias Domini in aeternum cantabo.

LECTIO III — **Mich 5. 2-5a:** « *Et tu, Bethlehem Ephrata* ».
Haec dicit Dominus: Et tu, Bethlehem Ephrata...

PS. RESP. — **Ps 131. 11, 15-16, 17-18**
℟ (*Lc 1. 32a*): Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.

LECTIO IV — **Is 9. 2-4+6-7:** « *Parvulus natus est nobis* ».
Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam...
Versus 3 interpretari debet secundum hebraicam veritatem.

PS. RESP. — **Ps 97. 1, 2-3ab, 4+6**
℟ (*3cd*): Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.

---

15 In Nativitate Domini

In nocte

LECTIO I — **Is 9, 2-4+6-7:** « *Parvulus natus est nobis* ».
Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam...
Versus 3 interpretari debet secundum hebraicam veritatem.

PS. RESP. — **Ps 95. 1-2a+2b-3, 11-12, 13**
℟ (*Lc 2. 11*): Hodie natus est nobis Salvator, qui est Christus Dominus.

LECTIO II — **Tit 2. 11-14:** « *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* ».
Carissime: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri...
[MR, *11-15*]

ALLELUIA — **Ps 2. 7:** ℟ Alleluia.
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu,
(℟ Alleluia.)
ego hodie genui te.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Lc 2. 1-14:** « *Maria peperit filium suum primogenitum* ».
In diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto... [MR]

---

16 In Nativitate Domini

In aurora

LECTIO I — **Is 61. 1-2a+2c-3+62. 11-12:** « *Ecce Salvator tuus venit.* »
Spiritus Domini super me...

PS. RESP. — **Ps 96. 1-2, 11-12**
℟ (*11a+12a*): Lux orta est iusto,
laetamini in Domino.

LECTIO II — **Tit 3. 3-7:** « *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri* ».
Carissime: Eramus aliquando et nos inspientes... [MR, *4-7*]

ALLELUIA — **Ps 109. 3:** ℟ Alleluia.
Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum:
(℟ Alleluia.)
ex utero ante luciferum genui te.
℟ Alleluia.
[MR, graduale in nocte]

EVANG. — **Lc 2. 15-20:** « *Invenerunt pastores Mariam et Ioseph et infantem* ».
In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem... [MR]

17 In Nativitate Domini

In die

LECTIO I — **Is 52. 6-10:** « *Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri* ».
In die illa, sciet populus meus nomen meum: quia ego ipse qui loquebar...

PS. RESP. — **Ps 97. 1, 2-3ab, 4+6**
℟ (*3cd*): Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri. [MR]

LECTIO II — **Hebr 1. 1-5a:** « *Locutus est Deus nobis in Filio* ».
Initium Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos.
Multifariam multisque modis olim Deus loquens... [MR, *1-12*]

ALLELUIA — ℟ Alleluia.
Dies sanctificatus illuxit nobis: venite, gentes, et adorate Dominum:
(℟ Alleluia.)
quia hodie descendit lux magna super terram.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Ioan 1. 1-5+9-14+16-18:** « *Verbum caro factum est* ».
Initium sancti Evangelii secundum Ioannem.
In principio erat Verbum... [MR, *1-14*]

---

18 Dominica infra octavam Nativitatis seu de Sancta Familia

LECTIO I — **Prov 23. 22-25:** « *Gaudeat pater tuus et mater tua* ».
Audi patrem tuum...

PS. RESP. — **Ps 127. 1-2, 3, 5-6**
℟ (*1*): Beati qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.

LECTIO II — **Col 3. 14-21:** *De vita domestica in Domino.*
Fratres: Super omnia, caritatem habete... [MR, *12-17*]

ALLELUIA — **Col 3. 16a+17b:**
℟ Alleluia.
Verbum Christi habitet in vobis abundanter.
(℟ Alleluia.)
Gratias agite Deo et Patri, per Dominum Iesum Christum.
℟ Alleluia.

EVANG. — A **Mt 2. 13-15:** *Fuga in Aegyptum.*
Cum recessissent Magi, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph...
[MR, *13-18*, die 28 decembris]

B **Mt 2. 19-23:** *Regressus ex Aegypto.*
Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph...

C **Lc 2. 22+39-40:** « *Puer crescebat, plenus sapientia* ».
Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi...
[MR, *33-40*, Dom. infra octavam Nativitatis]

19 In Octava Nativitatis Domini
Festum Sanctae Dei Genetricis Mariae

die 1 ianuarii

LECTIO I **Prov 8. 22-31:** *De mirabilibus operibus Sapientiae Dei.*
Haec loquitur Sapientia Dei dicens: Ab aeterno ordinata sum...
[MR, *22-35*, diebus 8 decembris et 8 septembris]

PS. RESP. **Ps 44. 11-12, 14-15, 16-17**
℟ Salve, sancta parens, quia Filius tuus regit universa!
[MR, *13-16*, in Missa de sancta Maria in sabbato, II]

LECTIO II **Gal 4. 4-7:** « *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere* ».
Fratres: Ubi venit plenitudo temporis...
[MR, *1-7*, Dom. infra octavam Nativitatis]

ALLELUIA ℟ Alleluia.
Virgo Dei Genetrix, quem totus non capit orbis,
(℟ Alleluia.)
in tua se clausit viscera factus homo.
℟ Alleluia.
[MR, die 11 octobris]

EVANG. **Lc 2. 15-21:** « *Invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio* ».
In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem...
[MR, *15-20*, in Nativitate, in aurora; et in Missa de sancta Maria in sabbato, II]

---

20 Dominica II post Nativitatem

(a die 2 ad diem 5 ianuarii)

LECTIO I **Bar 3. 32-38:** *De sapientia et potestate Dei.*
Qui scit universa novit Sapientiam et adinvenit eam...

PS. RESP. **Ps 146. 1-2, 3-4, 5-6**
℟ (*11*): Beneplacitum est Domino in eis qui sperant super misericordia eius.

LECTIO II **I Tim 3. 14-16:** « *Manifeste magnum est pietatis sacramentum* ».
Carissime: Haec tibi scribo...

ALLELUIA **I Tim 3. 16**
℟ Alleluia.
Christus, praedicatus gentibus,
(℟ Alleluia.)
Christus, creditus in mundo.
℟ Alleluia.

EVANG. **Lc 2. 41-52:** *Iesus a parentibus in medio doctorum invenitur.*
Ibant parentes Iesu per omnes annos in Ierusalem... [MR]

Annis in quibus non adest Dominica inter dies 2 et 5 ianuarii, Epistola et Evangelium huius Dominicae leguntur die 2 ianuarii

21 In Epiphania Domini

die 6 ianuarii

LECTIO I — **Is 60. 1-6:** *De gloria novae Ierusalem.*
Surge, illuminare, Ierusalem... [MR]

PS. RESP. — **Ps 71. 2, 7-8, 10, 12-13**
℟ (*11*): Adorabunt te omnes reges terrae, omnes gentes servient tibi.
[MR, *10-11*, ant. ad offertorium]

LECTIO II — **Tit 2. 11-14:** « *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* ».
Carissime: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri...

ALLELUIA — **Mt 2. 2:** ℟ Alleluia.
Vidimus stellam eius in Oriente,
(℟ Alleluia.)
et venimus adorare Dominum.
℟ Alleluia. [MR]

EVANG. — **Mt 2. 1-12:** *Magi adorant Dominum.*
Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda... [MR]

---

22 Dominica I post Epiphaniam in Baptismate Domini

LECTIO I — **Is 42. 1-4+6-7:** « *Ecce servus meus in quo complacuit anima mea* ».
Haec dicit Dominus: Ecce servus meus...

PS. RESP. — **Ps 28. 1-2, 3-4, 10-11**
℟ (*Mt 3. 17*): Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

LECTIO II — **Tit 3. 3-7:** « *Salvos nos fecit Dominus per lavacrum regenerationis* ».
Carissime: Eramus aliquando et nos insipientes...
[MR, *4-7*, in Nativitate, in aurora]

ALLELUIA — **Resp. 2 ad Matut. Epiph. + Ps 2. 7:**
℟ Alleluia.
Caeli aperti sunt et vox Patris intonuit:
(℟ Alleluia.)
Filius meus es tu, ego hodie genui te.
℟ Alleluia.

EVANG. —
A **Mt 3. 13-17:** « *Hic est Filius meus dilectus* ».
In illo tempore: Venit Iesus a Galilaea in Iordane ad Ioannem...

B **Ioan 1. 29-34:** « *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* ».
Altera die, vidit Ioannes Iesum venientem ad se...
[MR, die 13 ianuarii]

C **Lc 3. 15-16+21-22:** « *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto* ».
In illo tempore: Existimante populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne...
[MR, *21-23*, in Missa votiva de s. Ioseph]

DOMINICAE PER ANNUM SIVE POST EPIPHANIAM SIVE POST PENTECOSTEN

Praenotanda

Schemata Lectionarii in Dominicis post Epiphaniam et post Pentecosten per modum unius explicantur quia ad modum unius consideranda sunt quasi schema Dominicarum per annum.

A. De Evangeliis

1. Si secundum traditionem optimam lectio Ioannis quotannis tempori Quadragesimae et tempori paschali reservatur, tunc optima videtur dispositio qua tria alia Evangelia — sic dicta synoptica — Dominicis per annum in lectione semicontinua assignantur per tres annos ordinata.

Ita fidelibus traditur doctrina unicuique Evangelio propria, et hoc per dispositionem quasi naturalem, qua facta parallela quodammodo iisdem temporibus annis redeunt. Hoc sub aspectu pastorali optimum videtur et bonam cohaerentiam prae se fert.

2. Insuper ex hac distributione obtinetur quasi connaturaliter *aliqua harmonia inter sensum cuiusque Evangelii et evolutionem cycli liturgici inter Epiphaniam et Adventum sequentem.*

Opportunum videtur legere priora capita trium Evangeliorum in Dominicis post Epiphaniam. Haec lectio cohaeret etiam cum narratione Baptismatis Domini, quae legitur in Dominica I post Epiphaniam « de Baptismo Domini », cum in diebus Dominicis sequentibus (inde a Dominica III, quia Dominica II reservatur quotannis miraculo Canae) apparent primae « epiphaniae » Domini in ministerio publico Galileae per miracula, et doctrina sermonis in monte.

Una Dominica anni *Mt* et anni *Lc* reservatur lectioni beatitudinum initio sermonis in monte.

3. Lectio Evangeliorum synopticorum pergit in lectione semicontinua post Pentecosten, in Dominicis quae sequuntur Dominicam de Ss. Trinitate. Ita proponuntur narrationes de sermone missionis et de vocatione Apostolorum, deinde, in anno *Mt*, parabolae capitis XIII.

Haec omnia opportune ponuntur post Pentecosten.

4. In Dominicis sequentibus occurrunt in anno *Mt* parabolae eschatologicae (capitis XVIII), in anno *Lc* parabolae misericordiae (capitis XV ss.), et in anno *Mc* inseruntur post Dominicam X, 5 lectiones ex *Io* capite VI desumptae (sermo de pane vitae).

Haec insertio fit modo connaturali, quia multiplicatio panum in *Io* capite VI locum sumit eiusdem narrationis in *Mc*.

5. Ita naturaliter devenitur in ultimis Dominicis post Pentecosten ad thema eschatologicum: nam ultima capita ante narrationem Passionis de eschatologia tractant modo plus minusve extenso. In anno *Mt* inveniuntur parabolae eschatologicae, uti parabola decem virginum et talentorum; et prophetia Domini de ultimo iudicio bene locum habet in ultima Dominica de Christo universorum Rege.

Annus *Mc* et *Lc* praebent etiam pericopas eschatologicas pro his ultimis Dominicis.

B. De Epistolis

Pro Epistolis proponitur lectio semicontinua Epistolarum Pauli et Iacobi (Epistolae Petri et Ioannis leguntur tempore paschali et Nativitatis Domini).

a) *1 Cor* assignatur in cyclo trium annorum Dominicis post Epiphaniam, cum haec Epistola de diversis quaestionibus tractet.

b) Post Pentecosten proponuntur, item in cyclo trium annorum, primo magnae Epistolae, postea Epistolae captivitatis (cum *Iac* in anno B), tandem Epistolae ad Thessalonicenses 1 et 2 (in annis A et B) — quae sunt in ultimis Dominicis propter earum indolem eschatologicam — et pastorales. In annis B et C legitur ex Epistola ad Hebraeos (11 Dominicae).

Notetur, tantum pericopas sat breves et haud nimis difficiles ut a fidelibus intelligantur selectas esse.

C. De lectione Veteris Testamenti

1. Lectio Veteris Testamenti seligitur in relatione cum Evangelio vel cum Epistola. De more adest harmonia cum Evangelio, rarius cum Epistola. Haec harmonia dabit lectionibus aliquam unitatem.

2. Seliguntur textus sat breves et faciles. Saepe in ipsa lectione Novi Testamenti explicite vel implicite citantur; aut saltem sunt in relatione cum themate Evangelii vel Epistolae.

3. In Dominicis post Epiphaniam, saepe lectiones e libro Isaiae desumuntur, non propter tempus liturgicum (quia tempus lectionis Isaiae est Adventus), sed propter lectiones evangelicas: nam narratio primi ministerii Iesu in Galilaea est sub influxu libri Isaiae. Ita pericopae Isaiae apparent in istis Dominicis sub lumine adimpletionis evangelicae.

DOMINICAE POST EPIPHANIAM

23 Dominica II post Epiphaniam

A

LECTIO I **Is 55. 1-3:** *De cibo pauperum.*

Haec dicit Dominus: Omnes sitientes, venite ad aquas...

PS. RESP. **Is 12. 2, 4bcd, 5-6**

℟ (*3*): Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

LECTIO II **I Cor 1. 1-3:** « *Gratia et pax a Deo et Domino Iesu* ».

Initium Epistolae primae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. Paulus, vocatus apostolus Iesu Christi...

ALLELUIA **Ps 106. 21:** ℟ Alleluia.

Confiteantur Domino misericordiae eius;
(℟ Alleluia.)
et mirabilia eius filiis hominum.
℟ Alleluia.

[MR, graduale]

EVANG. **Ioan 2. 1-11:** « *Initium signorum Iesu in Cana* ».

In illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae... [MR]

---

24 Dominica II post Epiphaniam

B

LECTIO I **Ioel 2. 23-24+26-27a:** « *Redundabunt torcularia vino et oleo* ».

Haec dicit Dominus: Filii Sion, exsultate...

PS. RESP. **Ps 22. 1-2a, 2b-3, 5, 6**

℟ (*5a+d*): Parasti in conspectu meo mensam, et calix meus inebrians quam praeclarus est!

LECTIO II **I Cor 3. 16-23:** *Templum Dei sumus.*

Fratres: Nescitis quia templum Dei estis...

ALLELUIA **Ps 106. 21:** ℟ Alleluia.

Confiteantur Domino misericordiae eius:
(℟ Alleluia.)
et mirabilia eius filiis hominum.
℟ Alleluia. [MR, graduale]

EVANG. **Ioan 2. 1-11** ut in serie A.

---

25 Dominica II post Epiphaniam

C

LECTIO I — **Is 62. 2-5:** « *Gaudebit sponsus super sponsam* ».
In diebus illis: Videbunt gentes iustum tuum...

PS. RESP. — **Ps 95. 1-2a, 2b-3, 7-8a, 8b-9**
℟ (*3*): Annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

LECTIO II — **I Cor 12. 12-20:** « *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus* ».
Fratres: Sicut corpus unum est...

ALLELUIA — **Ps 106. 21:** ℟ Alleluia.
Confiteantur Domino misericordiae eius:
(℟ Alleluia.)
et mirabilia eius filiis hominum.
℟ Alleluia. [MR, graduale]

EVANG. — **Ioan 2. 1-11:** ut in serie A.

---

26 Dominica III post Epiphaniam

A

LECTIO I — **Is 9. 2-4:** « *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam* ».
Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam...
[cit. in *Mt 4. 15*]

PS. RESP. — **Ps 26. 1, 4, 13-14**
℟ (*1a*): Dominus illuminatio mea et salus mea.
[MR, ant. ad introitum]

LECTIO II — **I Cor 1. 10-13+17:** *Concordia commendatur.*
Obsecro vos, fratres, per nomen Domini...

ALLELUIA — **Mc 1. 15:** ℟ Alleluia.
Appropinquavit regnum Dei;
(℟ Alleluia.)
credite Evangelio.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mt 4. 12-17:** *Iesus incipit praedicare:* « *Paenitentiam agite* ».
Cum audisset Iesus quod Ioannes traditus esset...

27 Dominica III post Epiphaniam

B

LECTIO I — **Is 52. 6-10:** *Praedicatio pacis et salutis.*
Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem...

PS. RESP. — **Ps 97. 1, 2-3ab, 4+6**
℟ (*3cd*): Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri. [= *Is 52. 10b*]

LECTIO II — **I Cor 6. 12-14+18-20:** « *Glorificate Deum in corpore vestro* ».
Fratres: Omnia mihi licent...

ALLELUIA — **Mc 1. 15:** ℟ Alleluia.
Appropinquavit regnum Dei;
(℟ Alleluia.)
credite Evangelio.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mc 1. 14-22:** *Iesus praedicationem incipit et priores apostolos vocat.*
Postquam traditus est Ioannes...

28 Dominica III post Epiphaniam

C

LECTIO I — **Neh 8. 1-4a+5-6+7b-10:** *Esdras legem legit.*
In diebus illis: Congregatus est omnis populus... ad loquendum. Et aperuit Esdras librum... proni in terram. Porro levitae silentium faciebant in populo...

PS. RESP. — **Ps 18. 8, 9, 10, 15**
℟ (*Ioan 6. 64b*): Verba tua, Domine, spiritus et vita sunt.

LECTIO II — **I Cor 12. 26-30:** « *Corpus Christi et membra de membro* ».
Fratres: Si quid patitur unum membrum...

ALLELUIA — **Mc 1. 15:** ℟ Alleluia.
Appropinquavit regnum Dei;
(℟. Alleluia.)
credite Evangelio.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Lc 4. 16-22a:** « *Hodie impleta est haec Scriptura* ».
In illo tempore: Venit Iesus Nazareth...
[MR, feria 5 in Cena Domini, in Missa Chrismatis]

29 Dominica IV post Epiphaniam

A

LECTIO I — **Is 57. 15-19:** *Dominus vivificat spiritum humilium.*
Haec dicit Excelsus et Sublimis...

PS RESP. — **Ps 130. 1, 2, 3**
℟ Custodi animam meam in pace apud te, Domine.

LECTIO II — **I Cor 1. 18-25:** *Sapientia Dei et stultitia praedicationis Iesu crucifixi.*
Fratres: Verbum crucis, pereuntibus quidem stultitia est...

ALLELUIA — **Lc 4. 18:** ℟ Alleluia.
Evangelizare pauperibus misit me Dominus,
(℟ Alleluia.)
sanare contritos corde.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mt 5. 1-12a:** *Beatitudines.*
In illo tempore: Videns Iesus turbas...
[MR, die 1 novembris]

30 Dominica IV post Epiphaniam

B

LECTIO I — **Eccle 1. 2-11:** *Vanitas vanitatum.*
Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes...
[In relatione cum Epistola]

PS. RESP. — **Ps 80. 3-4, 12-13, 14-15, 16-17**
℟ (*1*): Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem.

LECTIO II — **I Cor 7. 29-31:** « *Praeteriit figura huius mundi* ».
Hoc dico, fratres: tempus breve est...

ALLELUIA — **Lc 4. 18:** ℟ Alleluia.
Evangelizare pauperibus misit me Dominus,
(℟ Alleluia.)
sanare contritos corde.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mc 1. 23-31:** *Iesus docet in synagoga Capharnaum, daemoniacum sanat et socrum Petri curat.*
In illo tempore: Erat in synagoga homo in spiritu immundo...

31 Dominica IV post Epiphaniam

C

LECTIO I — **Deut 4. 29-31:** « *Deus misericors Dominus Deus tuus est* ».
Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum...
[In relatione cum Epistola]

PS. RESP. — **Ps 144. 1+9, 13cd-14, 17-18**
℟ (*8*): Miserator et misericors est Dominus, patiens et multum misericors.

LECTIO II — **I Cor 12. 31-14. 1a:** *Hymnus de caritate.*
Fratres: Aemulamini charismata meliora...
[MR, *13. 1-13*, Dom. in Quinquagesima]

ALLELUIA — **Lc 4. 18:** ℟ Alleluia.
Evangelizare pauperibus misit me Dominus,
(℟ Alleluia.)
sanare contritos corde.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Lc 5. 1-11:** *Piscatio miraculosa et vocatio primorum Apostolorum.*
In illo tempore: Cum turbae irruerent in Iesum...
[MR, Dom. IV post Pentecosten]

---

32 Dominica V post Epiphaniam

A

LECTIO I — **Ier 9. 23-24:** « *Non glorietur sapiens in sapientia sua* ».
Haec dicit Dominus: Non glorietur sapiens...
[In relatione cum Epistola]

PS. RESP. — **Ps 106. 8-9, 13+41, 42-43**
℟ (*1*): Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.

LECTIO II — **I Cor 1. 26-31:** « *Christus factus est pro nobis sapientia a Deo* ».
Videte vocationem vestram, fratres...

ALLELUIA — **Ioan 6. 64b+69b:**
℟ Alleluia.
Verba tua, Domine, spiritus et vita.
(℟ Alleluia.)
Verba vitae aeternae habes.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mt 5. 13-19:** « *Vos estis sal terrae et lux mundi* ».
In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terrae...
[MR, in Communi Doctorum]

33 Dominica V post Epiphaniam

B

LECTIO I — **Soph 3. 12-17:** « *Dominus in medio tui fortis, ipse salvabit* ».
Haec dicit Dominus: Derelinquam in medio tui populum pauperem...

PS. RESP. — **Ps 85. 4-5, 6-7, 9-10**
℟ (*9ab*): Omnes gentes venient et adorabunt te, Domine.

LECTIO II — **I Cor 9. 16-19+22-23:** « *Omnia facio propter Evangelium* ».
Fratres: Si evangelizavero, non est mihi gloria...

ALLELUIA — **Ioan 6. 64b+69b:**
℟ Alleluia.
Verba tua, Domine, spiritus et vita.
(℟ Alleluia.)
Verba vitae aeternae habes.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Mc 1. 32-39:** *Iesus curat multos et praedicat in omni Galilaea.*
In illo tempore, vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad Iesum omnes male habentes...

---

34 Dominica V post Epiphaniam

C

LECTIO I — **Ier 17. 5-10:** « *Benedictus qui confidit in Domino* ».
Haec dicit Dominus: Benedictus vir qui confidit in Domino... (in fine:) Ait Dominus omnipotens.

PS. RESP. — **Ps 61, 2-3, 6-7, 9, 12c-13**
℟ (*8*): In Deo salutare meum et gloria mea, spes mea in eo.

LECTIO II — **I Cor 15. 1-8+11:** « *Christus mortuus est, sepultus est et resurrexit* ».
Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod praedicavi vobis...

ALLELUIA — **Ioan 6. 64b+69b:**
℟ Alleluia.
Verba tua, Domine, spiritus et vita.
(℟ Alleluia.)
Verba vitae aeternae habes.
℟ Alleluia.

EVANG. — **Lc 6. 20-26:** *Beatitudines et imprecationes.*
In illo tempore: Elevatis oculis in discipulos suos, dicebat Iesus: Beati pauperes...

35 Dominica VI post Epiphaniam

A

LECTIO I **Lev 19. 1-2+17-18:** *De dilectione fratrum.*
In diebus illis, locutus est Dominus ad Moysen, dicens...

PS. RESP. **Ps 102. 1-2, 3-4, 8+10, 12-13**
℟ (*8*): Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.

LECTIO II **I Cor 2. 1-5:** « *Fides vestra sit in virtute Dei* ».
Cum venissem ad vos, fratres, ego veni...

ALLELUIA **Ioan 13. 34:** ℟ Alleluia.
Mandatum novum do vobis:
(℟ Alleluia.)
sicut dilexi vos, diligite invicem.
℟ Alleluia.

EVANG. **Mt 5. 20+43-48:** *De amore inimicorum.*
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Dico vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra...
[MR, *43-48*, feria 4 cinerum]

---

36 Dominica VI post Epiphaniam

B

LECTIO I **Ex 24. 3-8:** *De foedere et sacrificio communionis.*
In diebus illis, venit Moyses et narravit plebi omnia verba Domini...
[In relatione cum Epistola]

PS. RESP. **Ps 115. 12+14, 15-16, 17-18**
℟ (*13*): Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.

LECTIO II **I Cor 10. 14-17+31-33:** *De communicatione Corporis et Sanguinis Domini.*
Carissimi mihi, fugite ab idolorum cultura...

ALLELUIA **Ioan 13. 34:** ℟ Alleluia.
Mandatum novum do vobis:
(℟ Alleluia.)
sicut dilexi vos, diligite invicem.
℟ Alleluia.

